Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

nosamus quid factum sit ei. Et vitulum fecerunt in diebus illis: et obtulerunt hostiam simulacro: et letati sunt in operibus manuum suarum. Convertit autem deus: et tradidit eos servire militiae coeli sicut scriptum est in libro prophetarum: Numquid victimas aut hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus israhel. Et suscepistis tabernaculum moloch et sidus dei vestri rempham: figuras quas fecisti adorare eas: et transferam vos trans babilonem. Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis dicens ad moysen: ut faceret illud secundum formam quam viderat. Et induxerunt suscipientes patres nostri cum josue in possessionem gentium: quas expulit deus a facie patrum nostrorum usque in diebus david. Qui invenit gratiam ante deum et petivit ut inveniret tabernaculum deo jacob. Salomon autem edificavit illi domum. Et non excelsus in manufactis habitat. sicut per propheta dicit. Coelum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum edificabitis mihi dicit dominus aut quis locus requiei meae. Nonne manus mea haec fecit omnia. Dura cervice et incircumcisi cordibus et auribus vos semper spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri et vos. Quem eum prophetarum non sunt persecuti patres vestri: et occiderunt eos qui praenunciabant de adventu justi cuius vos nunc proditores et homicidae fuistis: qui accepistis legem in dispositione angelorum et non custodistis. Audientes autem haec dissecabantur cordibus suis: et stridebant dentibus in eum. Cum autem esset plenus spiritu sancto intendens in coelum vidit gloriam dei et jesum stantem a dextris dei. Et ait ecce video coelos apertos: et filium hominis stantem a dextris virtutis dei. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas: et impetum fecerunt pariter in eum. Et eicientes eum extra civitatem lapidabant: et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis: qui vocabatur saulus. Et lapidabant stephanum invocantem et dicentem: Domine jesu suscipe spiritum meum. Positis autem genibus clamavit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset obdormivit in domino.

VIII

Saulus autem erat consentiens nici eius. Facta est autem in illa die persecutio magna in ecclesia quae erat in hierosolimis: et omnes dispersi sunt per regiones judee et samarie praeter apostolos. Curaverunt autem stephanum viri timorati et fecerunt planctum magnum super eum. Saulus autem devastabat ecclesiam per domos intrans et trahens viros ac mulieres: tradebat in custodiam. Igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes verbum dei. Philippus autem descendens in civitatem samarie, praedicabat illis christum. Intendebant autem turbae his quae a philippo dicebantur unanimiter audientes et videntes signa quae faciebat. Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos: clamantes voce magna exibant multi autem paralitici et claudi curati sunt. Factum est